

πk
4116



As.

W

I

C
O

S



As. M. II. 174.

A. 47, 10.

Q. D. B. V.

VII. r.

WILHELMUS AUGUSTUS

COMES de LYNAR,

DISSERTATIONEM JURIDICAM

D E

TITULORUM

ET COMMENDA-

RUM CONVENIENTIA,

Sub

PRÆSIDIO

DN. HENRICI COCCEJI,

JCTI CELEBERRIMI,

CONSIL. ELECT. BRANDENB. FACULTATIS JURIDICÆ

ORDINARIJ, & PROFESSORIS PRIMARIJ, nec non SERENISS.

ac POTENTISS. ELECT. BRANDENB. ab AULÆ

ELECT. CONSILII,

Antea

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI,

ET COLLEGII REVISORII ASSESSORIS, IN ACADEMIA

HEIDELBERG. DECRETAL. PANDECT. & JURIS GENT.

PROF. PUBL. ORD. MERITISSIMI,

Publicæ ventilationi subjiciet

Ad diem 3. August. Anno 1699.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI.





SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO III.

MARCHIONI BRANDEN-
BURGICO,

S. R. I. ARCHI-CAMERARIO
ET PRINCIPI ELECTORI,

BORUSSIAE SUPREMO,
MAGDEBURGI, JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM,
STETINI, POMERANIAE, CASSUBIORUM
ET VANDALORUM, ac IN SILESIA
CROSNÆ &c.

DUCI,

BURGGRAVIO NORICO, PRINCIPI HALBERSTA-
DII, MINDÆ ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERÆ,
MARCÆ ET RAVENSBERGI, DYNASTÆ IN RA-
VENSTEIN, LAUENBURG ET BUTOW
&c. &c. &c.

Domino suo Clementissimo.

SERENISSIME atq^{ue} POTENTISSIME
ELECTOR ac DOMINE,
Domine Clementissime,



Psum Disertationis
argumentum, benefi-
ciorum materiam ex-
hibens, me jam humil-
limæ admonet vene-
rationis, quâ *Serenitati Tuæ Electo-
rali*

rati obnoxii redditi majores mei è ci-
neribus quasi non sepeliendam, sed
refuscitandam potiùs cupiunt ingen-
tium copiosè in nos derivatorum mu-
nerum memoriam. Obversatur ani-
mo meo rediviva Genitoris mei ima-
go illustri Johannitici Ordinis insigni
à gl. m. FRIDERICÔ M. indulto decora-
ta, non intermorituræ erga *Augustam*
Electoraalem Domum in me pietatis
perpetua excitatrix. Imò is ipse locus,
in quò hætenùs per triennium studiis
vacavi, illius me simul recordari ju-
bet Gratia *Electoralis*, quæ avo meo
Præfecti præsidio hîc personam im-
posuerat; adeò ut tàm insigni Clemen-
tiæ monumento oculis meis perpe-
tuò

tuò sese ingerente, suffuso velut ru-
bore, interpellatus fuerim ad eden-
dum publicum memoriæ tot tanto-
rumque beneficiorum testimonium.
Agerem itaq; meo majorumq; meo-
rum nomine gratias; si possem, etiam
referrem; parem tamen non aliam
possum, nisi illam tantùm, ut semper
religioso cultu meminerim, nos o-
mnes ejusdem sanguinis hæredes, ve-
lut per traducem, *Serenitatis Elect.*
Tuæ Clementiæ æternò nexu manci-
patus esse. Si verò jam efficacissimum
rogandi genus esse putatur, testandæ
mentis gratæ facer quidam ardor;
hanc fortè, quam de titulis & com-
mendis Augusto Tuo Nomini, *Poten-*
tissime

tissime Elector ac Domine Clementis-
sime, inscribere ausifim, disertationem
commendationis ulterioris vicem ex-
pleturam, humillimè confido. Sed ea
est, *Princeps Augustissime*, decantata
Tua per Orbem univfersum bonitas,
ut spem anhelantium superes, præ-
curras cogitantium vota, preces im-
plorantium antevertas, atque ipsam
animi faustissima quæque sibi expe-
tentis velocitatem præeuntibus ante-
cedas beneficiis. Proprio id expertus
exemplo, indulgentiâ nimirum *Tuâ*
annuente, ad proximam fruendi Ca-
nonicatus Magdeburg. spem admis-
sus, quô aliô me jam commendem ti-
tulo? quàm eo, qui ex beneficiô *Tuô*
ortum

ortum trahit; hanc vitæ mihi præscri-
bens normam, hanc optimam in pa-
rendo necessitudinis cum Tanti Prin-
cipis justissimo imperio convenientiã
mihi dictitans, hanc mihi legem sanc-
iens, ut, arreptâ hâc de *Titulorum &*
Commendarum convenientiã disfe-
rendi occasione, publicâ munusculi
istiꝰ dedicatione tester, quanti sit æsti-
manda fors isthæc, quæ me gloriari
patitur commendatissimo hoc titulo,
quò me profiteor, addico, & inscribo,

SERENIT. ELECT. TUÆ
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

humillimum & obstrictissimum
Servum

WILH. AUGUST. COMITEM de LYNAR:

SUMMARIA.

1. *Iustitia vis in facto Camilli.*
2. *Summum ab ejus studio decus infertur generi.*
3. *Materia de Commendis adhuc tractatu digna.*
4. *Titulus quid in Jure?*
5. *Dicitur à tuendo, quasi tutulus. Milites olim Titi.*
6. *Beneficia in prima ecclesia titulis non fuere distincta.*
7. *Discrimen coepit sub Christianis Principibus.*
8. *Titulus in Jure Canonico dicitur ipsum beneficium ecclesiasticum canonicè alicui collatum vel conferendum.*
9. *Canonicus non dicitur à regula, sed à pensione.*
10. *Monasteria an titulo comprehensa?*
11. *Oeconomia ecclesiastica fuit, ut nec ecclesia sine dote congrua, nec beneficium sine officio constitueretur: unde titulorum distinctio.*
12. *In beneficio ecclesiastico tria sunt; officium, beneficium & fructus.*
13. *Dos est in patrimonio ecclesie: beneficii fructus sunt beneficiarii; unde alii tituli.*
14. *Officium ecclesiasticum non confertur sine beneficio. Quid è contrario, si beneficium vacet officio? Resp. Interim alii ex justis causis commendatur.*
15. *Ecclesia titulata & commendata invicem opponuntur.*
16. *Quid commenda, & quæ justæ ejus causæ.*
17. *Ecclesia non est commendanda in perpetuum, nisi ex dispositione Pontificis.*
18. *Ecclesia commendata vacare dicitur.*
19. *Nec duo tituli nec duæ commende concurrere in eandem personam regulariter possunt; titulus & commenda possunt.*
20. *Sacris equitum ordinibus non possunt alia beneficia ecclesiastica competere quàm commenda; & cur?*
21. *An Commendatarii fructus percipiunt?*
22. *Affirmatur de Commendis perpetuis. In temporalibus idem probabilius est, etsi variâse videantur.*
23. *Hodie planè omnia commoda acquirunt, uti procuratores in rem suam.*
24. *Demonstratur. Commendas esse bonæ ecclesiasticæ.*
25. *Et effectu juris à titulis non differre.*
26. *Probatur id pleniùs.*
27. *Refellitur non nemo, qui causas Commendarum ex memoratis juribus non esse decidendas putat.*
28. *Proponitur species; scil. cum certum beneficium ecclesiasticum, sive titulus sive commenda, nondum vacans, duobus conceditur, & Successori demum aperitur, à quo Primus petere neglexit, secundus petit & obtinet, & queritur, quis potior? Resp. de jure is qui petit: quod probatur rationibus.*
29. *I. ex jure civili.*
30. *II. ex eodem.*
31. *III. à perpetua differentia seculariù & ecclesiasticorum.*
32. *IV. ex jure Feudali.*
33. *V. Præjudiciis.*
34. *VI. ex Jure Canonico.*
35. *Refellitur hinc iterum qui præsupposita hæc erronea dicit.*
36. *Respondetur objectioni, quod Juris Canonici dispositio de spiritualibus agat, Commendas autem esse secularia beneficia.*
37. *An secus sit, cum Capitulum collationi bene-*

- ni beneficii non vacantis consensit; ut tunc Successor factum ejus prestare teneatur? Negatur & probatur, non successorem singularem, sed universalem teneri factum alterius prestare.
38. Ostenditur, id esse rationis naturalis.
39. Electus eligentium factum non prestat, nisi lege electionis dictum id fuerit.
40. Factum jure improbatum ne heres quidem prestat.
41. Prohibitio canonum de non conferendo certo beneficio non vacante, aequè ad Capitulum quàm ad Prælatum pertinet.
42. Ex eo facto nec Capitulum, nec Prælatus, atq; adeò nec Successor obligatur.
43. Jure demum feudali exceptus est casus in ecclesiastico beneficio, si vivo Prælato; in secularibus, si heredi saltem apertum fuerit.
44. Interpretatio regula: ex qua persona lucrum quis capit, ejus factum prestat. l. 149. de R. J. Eà intelligitur factum lege donationis comprehensum: quod probatur exemplis.
45. Aliud exemplum in usucapione.
46. Successor ex persona antecessoris, qui mala fide rem accepit, usucapere nequit, etsi ipse bona fide acceperit: ubi de sensu l. 13. §. 1. de Acq. pos.
47. Nec si res vitiosa fuerit. ad l. II. C. eod.
48. Alio tamen jure utitur successor ratione mala fidei, alio ratione vitii.
49. In genere ergo videndum, quid re vel naturâ negotii contineatur: ubi sensus c. 46. de R. J. in 6.
50. Naturâ electionis Prælati non contineri concessionem certi beneficii non vacantis, sed contra improbari.
51. Vera Fachinai ratio, quòd collationi Prælati insit conditio, si ei vivo apertum fuerit.
52. Hac sola ratione collationem hanc omnino vitio vacare.
53. Resp. rationi D. Hartm. Pist. quòd ecclesia, autrix justitia, non debeat à patre recedere.
54. Et alteri, quòd Capitulum non moriatur. Non promitti hic factum Capituli.
55. Quid si collatio sit solius Capituli?
56. Ad quid teneatur qui non ipse promissit, sed promittenti tantum adsensit.
57. Nihil huc facere c. 12. Rescr. in 6. & c. 17. Præb.
58. Quàm illi textus hinc alieni sint.
59. De casu ibi comprehenso neminem unquam dubitasse; qui tamen limitatur.
60. Alia longè questio, de qua hic agitur.
61. An consuetudine mutatum quid sit specialiter probandum esse; & quidem duo singulariter.
62. Nondum probatum est, moribus teneri Successorem etiam non petita confirmatione.
63. Species, de qua respondit Fac. Jurid. Viadr.
64. In ea specie singularia quedam adducta specie fuisse; quæ nihil obstant.
65. Refellitur ratio, quòd posterior Commendam in duplicem tantum casum sibi reservaverit.
66. De aliis convenientiis tituli & commenda: differunt formâ, conveniunt effectu.
67. Commendatarius quoque exercet, quæ sunt Jurisdictionis & c.
68. Quæ verò sunt ordinis, non per se, sed per alios.
69. Possessoris non utitur, sed remedio h. r. C. si per vim. Evang. Commenda contra.
70. Quæ in curia Rom. vacarunt, ad Papæ collationem pertinent, etsi Commenda extra curiam vacare cœperit. Secus in Evangelicis.
71. Conclusio cum contestatione.

DISSER-



DISSERTATIO JURIDICA
DE
TITULORUM & COMMENDARUM
CONVENIENTIA.

§. I.



Memorable omnino est factum illud Camilli, cum Magistrum, eundemq; proditorem puerorum nobilium ipsis pueris tradidit, ut eum virgis cædentes in urbem agerent: testatus verbis rebusq;, se juris æquæ ac bellorum esse gnarum, nec minùs iustitiæ studiosum, quàm victoriæ avidum. Quo unico actu effecit, ut hostes, Falisci, dedere se Romanis non vi cogerentur, sed misis ultrò legatis maximoperè expeterent; ac faterentur, *meliùs se sub Imperio Romanorum, quàm suis legibus victuros.* Liv. lib 5. cap. 7.

§. 2. Hoc facto, *multò meliore laude, quàm cum triumphantem albi per urbem equi vexerant, insignis iustitiæ fideque in urbem rediisse* dicitur Camillus, summum seculi illius togâ belloq; decus. Tantum præsidii pariter

A

riter

riter ac ornamenti cùm singulis, tum Reipublicæ accedere solet à sincero justitiæ cultu ac studio. Quod proinde, si quicquam aliud, natalium claritatem decet, & adeò exornat, ut sine dubio haud paulò majus inde decus generi inferatur, quàm à genere accipitur.

§. 3. Hujus itaq; justitiæ studio hætenus haud parum delectatus, ejusq; præstantiâ gloriâq; ductus, decursis pro instituto spaciis Academicis, electo hoc pro disputatione publica argumento de Titulorum & Commendarum convenientiâ, quædam inde speciminis loco delibabo. Et si enim vulgata videatur de Commendis tractatio, & ab aliis jam plurima eruditè in eam rem tradita sint, tamen ut accidere in materiis juris vulgatisimis quoq; solet, supersunt fatis multa, quæ aliorum industriam studiumque excitare & ingenium exercere possunt. Proinde, ut eo evidentior sit materia de Commendis, speciem eis oppositam de Titulis generaliter præmittemus.

§. 4. Titulus in jure est causa, cujus vi ac potestate jus alicui acquiritur & competere dicitur: unde tituli domini translativi sunt causæ seu negotia illa, quibus dominium transfertur, sicut venditio, donatio, solutio, usucapio, permutatio, legatum, &c. uti è contrario alii tituli seu causæ sunt, ex quibus non dominium, sed usus tantùm vel custodia aut simile quid transfertur: uti commodatum, depositum, &c.

§. 5. Dicitur autem titulus à tuendo, teste Varro-
ne, quia factum auctoris & jus inde natum titulus tue-
tur; quasi tutulus: nam ita promiscuè ea olim scri-
bebantur, uti *maxumus optumus*, & *maximus opti-
mus*, &c. scribebant. Unde milites olim Tituli dicti
sunt, Festo authore, quia tuendæ civitati assumun-
tur:

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. 3
tur: & Titus militem significabat, ut apud Pers. *Sat. 1.*
vers. 20.

Ingentes trepidare Titos &c.
Atque ita jus omne à titulo vel causa sua æstimatur at-
que defenditur.

§. 6. Inde orti quoq; sunt tituli ecclesiastici. Equi-
dem initio tenues quàm maximè fuere ecclesiæ facul-
tates, & Servator quoq; à fidelibus oblata oculis as-
servavit, *Joh. 13. v. 29.* eoque mortuo discipuli ac fide-
les bona sua in commune contulerunt. Veruntamen
nullis titulorum gradibus vel ordinibus bona tum di-
stincta, sed ad communes necessitates impensa fue-
runt. *Act. 2. vers 44. 45.* Nec deinde sub gentilismo bo-
norum, ordinum, dignitatumq; differentia ac tituli
fuerunt: conf. *Duar. de Benef. Eccles. lib. 2. cap. 1.* quin
nec discrimen fuit inter Episcopos & presbyteros. *c. 1.*
vers. Presbyter. dist. 21.

§. 7. Verùm sub Christianis Principibus, cum
horum maximè liberalitate, aliorumque piorum be-
neficiis auctæ immensum opes ecclesiasticæ, & jam pu-
blica autoritate constitutæ ac munitæ essent ecclesiæ,
cæperunt varia ordinum ac beneficiorum discrimina,
& alia majora, alia minora dici; alia esse cum dignita-
te, alia sine ea: *c. 1. de Consuet. in 6.* Tum Majoritas quæ-
dam dici & constitui, *tot. tit. x. de Major. & obed.* & cul-
mina dignitatum induci, uti dicuntur in *c. pen. x. de*
Præb. & dign. atque ita varii tum beneficiorum eccle-
siasticorum, tum quæ iis cohærent officiorum tituli
in ecclesiam inferri: de quibus hic tractandi locus
non est.

§. 8. Sunt igitur in jure ecclesiastico tituli nihil
aliud quàm beneficia ecclesiastica certis officiis eccle-

4 DISSERTATIO JURIDICA
fiasticis pro eorum modo, gradu ac dignitate annexa
& adscripta. Unde Titulus idem est ac cujusque
beneficium ecclesiasticum. uti patet ex *c. 4. x. de præb.
& dign.* ibi: *sine titulo de quo necessaria vita percipiat.* &
quod in *dict. c. 4.* initio titulus, mox conveniens mi-
litiæ stipendiū dicitur. Idemq; constat ex *cap. 16. x. eod.*
& expresum est Jure Feudali, in *l. F. 6.* in verb. *Si Epi-
scopus & c. feudum dederit de rebus ecclesiarum, quæ eis sub-
jectæ sunt & tituli vocantur & c.* Unde & titulatus idem
est ac beneficiatus (fit verbis venia, cum ita Canones
loqvantur) & titulari est ad beneficium ecclesiasticum
promoveri. *c. 3. X de Cler. conj.* ibi: *Ecclesiis quibus intitu-
lati fuerant. c. 2. dist. 70.* ubi hæc verba: *Sine titulo facta
ordinatio irrita habeatur, & in qua ecclesia quisq; titulatus
est, in ea perpetuo perseveret. Omnino autem in duabus a-
liquem titulari non liceat, sed unusquisq; in qua titulatus
est, in ea tantum Canonicus habeatur.*

§. 9. Canonicus autem à Canone, id est, portione
seu Præbenda, quæ pro officio ipsi ad alimenta tribui-
tur, & hinc in *d. cap. 2.* Canonicus præbendarius mox
vocatur. Canon enim portionem vel pensitationem
annuam vel menstruam vel etiam diurnam significa-
bat, inprimis quæ in alimenta solvenda fuit, ut apud
Æl. Spartianum in *Sever. c. 8.* *Rei frumentaria quam mini-
mam repererat, ita consuluit, ut excedens vitâ septem anno-
rum Canonem P. R. relinqueret. Et cap. pen. Moriens 7. an-
norum Canonem reliquit & c.* Uti & pensio Emphyteutæ
Canon Emphyteuticus dicitur. Atque hinc mirum
videri non debet, dari Canonicos regulares & irre-
gulares, quæ pugnare videntur. Nam Cano-
nicus non dicitur à Canone qui regulam, sed à Ca-
none qui pensionem beneficii ecclesiastici significat, ut

iii

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. 5
in d. c. 2. dist. 70. Alia de titulis compluscula tradidit
Gonzales, ad c. 4. n. 2. X. de Prab. & dign.

§. 10. Quanquam vero Monasteria titulis non
comprehendi videantur, per c. 2. X. de Capell. Monach. ibi:
*Cum generaliter in urbe servetur ut nullum Monasterium ti-
tulo sit subjectum &c.* contrarium tamen docet d. text.
in 1. F. 6. in pr. Quòd vero in d. c. 2. dicitur, asertio par-
tis fuit, quæ mox rejicitur à Pontifice. Sed & agitur ibi de
speciali consuetudine urbis Romæ. *arg. verb. cum in ur-
be servetur.* Deniq; alia quæstio est, an Monasterium
alii titulo subjectum sit; alia an ipsum sit titulus; quod
in d. c. 2. non negatur.

§. 11. Oeconomiam verò ecclesiasticam tota ratio
in eo est, ut singulæ ecclesiæ suis beneficiis ecclesiasti-
cis, quasi congrua dote, sint instructæ, unde ecclesiæ
cujusque onera ferri, & qui ei serviunt vel præ-
sunt competenter & pro cuiusq; dignitate sustentari
possint. Quamobrem tum ipsæ ecclesiæ inter se titu-
lis distinctæ sunt, tum cuiusq; ecclesiæ officia; adeò ut,
quemadmodum nulla officia ecclesiastica sine titulo
seu beneficio congruo conferri possunt, d. c. 2. dist. 70.
c. 4. c. 16. X. de Prab. & dign. ita nulla ecclesia constitui
sine dote congrua, c. 1. caus. 1. qv. 2. c. 8. X. de Consecr. ec-
cles. quæ & ipsa titulus beneficii est: & inde fit, ut Car-
dinales Presbyteri addant nomen ecclesiæ, cuius sunt
presbyteri, sub nomine tituli: v. gr. Cardinalis Pres-
byter tituli B. Marcelli &c. c. 2. X. de Cleric. non resid.

§. 12. In beneficio igitur ecclesiastico hæc tria
conjuncta sunt, beneficium ipsum, officium quod ei co-
hæret, & fructus, qui inde percipiuntur: c. fin. de Rescr.
in 6. c. 2. c. 4. c. 16. X. de prab. & dign. qui proinde fructus
nemini acquiruntur, nisi ei, qui justo ecclesiæ suæ ti-
tulo

tulo eos perceperit: atque, uti privatus nihil acquire-
re potest nisi ex justo titulo seu causa domini transla-
tiva, v. gr. emti, legati &c. ita nemo fructus beneficii
ecclesiastici, nisi ex causa vel titulo ejus officii, cui be-
nificiū illud cohæret quod in ea ecclesia gerit, & quod
proinde solum est justa causa sive titulus acquirendi e-
jus fructus, perinde ut venditio, donatio, &c. sunt ju-
stæ causæ vel tituli acquirendi domini.

§. 13. Cæterum dotatione dominium acquiritur
ecclesiæ, & dos fit patrimonium ecclesiæ; beneficii au-
tem fructus sunt ejus, qui justo titulo beneficium ha-
bet; ille aliquibus dicitur *titulus patrimonii*, hic *bene-
ficii*, quo etiam continetur *titulus mensæ*, uti reditus
mensæ Episcopalis; quibus additur *titulus paupertatis*
professæ seu religiosæ, in monasteriis: vid. D. Linck.
ad tit. X. de Ætat. & qualit. pres. in fin. rectius paupertatis
in genere, uti in Xenodochiis & similibus domi-
bus religiosis: nam & ille est justus titulus justaque
causa percipiendi fructus beneficii ecclesiastici: c. 3. c. 4.
X. de Relig. dom. nec minor religio est pauperes alere
quàm sacra facere; major etiam pietas. Quanquam
præcipue quoque id Magistratum muneris sit, pau-
peribus invalidis publice prospicere, nec minùs sanè
id munus publicum est, quàm pupillis tutores dare,
aut militem ad defensionem reip. alere.

§. 14. Atque hi quidem sunt justii tituli percipien-
di fructus beneficii ecclesiastici: dictumque est, quod
nemo ad officium ecclesiasticum promoveri debeat
sine titulo, adeò ut olim promotio ipso jure irrita fue-
rit, c. 4. X. de præb. & dign. deinde autem valuit quidem,
sed promotor interim alere promotum debuit. c. 16. X.
eod. Verùm, quid si è contrario beneficium vacet, ne-
moque

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. 7

moq; fit, qui ritè ei succeserit? Tunc verò illud commendatur vel committitur alicui custodiendum & administrandum, ne interim pro derelicto habeatur: unde beneficia hæc *Ecclesia commendata*, & vulgò, quasi contractè, *commenda* dicuntur: quæ proinde origine sua titulò seu causa justa acquirendi fructus beneficii ecclesiastici non sunt, sed procuratio, uti dicitur *in c. 42. de Elect. in 6.* & qui tenet, tantum est procurator seu mandatarius. *c. 15. eod. in 6.* Commendare enim nihil aliud est, quàm deponere, ut totidem verbis dicitur *in l. 186 ff. de Verb. sign. & in l. 24. princ. ff. de pos. c. 1. x. eod.* Add. *l. 14. §. 4. ff. de Relig.* Depositem autem est, quod custodiendum alii committitur, & proprie est rerum mobilium: immobilium enim, (qualia sunt beneficia ecclesiastica) depositum incidit in mandatum, seu procurationem.

§. 15. Hinc ecclesia titulata & ecclesia commendata disertè invicem opponuntur *in c. 3. caus. 21. q. 1. & cap. 54. vers. Suggestit x. de Elect.* unde sequitur, omnem ecclesiam, quæ non est titulata, esse commendatam; non enim, etsi pastore ecclesia vacet, etiam administratore vacare & planè deseri debet. Eodemque sensu distinguuntur Titularii & Commendatarii; A. Fab. *C. de Episc. & Cler. def. 34. n. 1.* & in Ll. Longob. *commenda & beneficia ecclesiastica strictè sic dicta. lib. 2. tit. 44. l. 2. in verb: qui commendationem vel beneficium ecclesiasticum habent.*

§. 16. Est itaque Commenda origine sua beneficium ecclesiasticum, quod titulo seu officio suo ecclesiastico vacans, interim ob causas alii custodiendum committitur & commendatur. Causæ justæ sunt, si impedimentum obstet, quò minùs beneficium illico
in

in titulum conferri possit. Ant. Fab. *C. de SS Trinit de-
fin. 9. in fin.* uti ob pestem, bella, &c.

§ 17. Hinc causæ propè omnium, quæ de Com-
mendis tradita sunt, apparent. Non enim in perpe-
tuum, sed ad tempus tantum ecclesia commendari
potest; *c. 12. X. de Accus.* & quidem regulariter tantum
ad 6. menses: *c. 15. de Elect. in 6.* idq; ab ordinario Collato-
re; modò parochialis ei comendetur, qui habilis & in
Sacerdotio est, & evidens sit ecclesiæ utilitas seu neces-
sitas. *d. c. 15.* Ad vitam autem, nedum in perpetuum
nemo commendare potest, nisi solus pontifex; *c. 42. de
Elect. in 6.* qualia tamen Pontificis indulta in Senatu Sa-
baudiæ non nisi à Senatu visa & comprobata admitti
ait Ant. Fab. *d. def. 9.* quod multò magis in Imperio
& Gallia obtinebit.

§ 18. Ecclesia verò commendata non minùs va-
care dicitur, quàm si nemini commissa esset, tum quia
vacat quæ Pastorem non habet, qui ei sit ritè & Ca-
nonicè intitulatus: *arg. d. c. 3. de Cler. conj.* tum quia
commendatarius non possidet beneficium, sed pos-
sessio ejus manet penes Pontificem vel Collatorem,
perinde ut cum nondum canonicè illud contulit: in
depositarium enim nec possessio transfertur. *l. 17. §. 1. ff.
depos. A. Fab. C. d. def. 9. & 10.* Quæ omnia secus sunt in
titulis, qui perpetuò seu ad vitam conceduntur, eo-
rumque possessio est penes titulos.

§ 19. Eo tamen conveniunt, quòd, uti nemo duo-
bus titulis adscribi potest. *c. 4. caus. 21. q. 1. c. 13. c. 14. c. 28. x.
de Prab.* ita nec duas commendas habere; *c. 15. de Elect.
in 6.* nisi ex dispositione Pontificis: unam autem com-
mendam & unum titulum potest habere. *c. 3. caus. 21. q. 1.
c. 54. in f. de Elect.*

§. 20.

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. 9

§. 20 Hinc verò constat, quæ Ordinibus sacrorum Equitum concessa sunt beneficia, ipsis non jure *tituli* competere posse, sed tantum jure *commenda*. Atque hinc est, quòd per universam Europam bonarum horum ordinum, cum Mariani tum Joannitarum, meræ sint Commendæ, Commenthureien; cum teneantur armis defendere ecclesiam, & sint veri milites armati; quod officium est seculare non ecclesiasticum, & proinde ad nullum titulum ecclesiasticum referri potest; quin armis interdictum est Clericis, qui titulum habent. *c. 10. x. de Elect. & el.* atq; adeò non nisi jure commendarum uti possunt, etsi species religionis sint, & ad vota quodammodo adstringantur. Vid. *Dn. Pres. Jus publ. c. 18. §. 43. & seqq.*

§. 21. An verò fructus interim percipiat Commendatarius, valde ambiguum videtur. Et communiter existimant, fructus ad Commendatarios non pertinere; Gonzal. *ad c. 54. in fin. x. de Elect.* Gylmann. *Symptor. tom. 1. part. 1. tit. 3. pag. 193.* Christin. *Vol. 1. Decis. 59. num. 15. & seqq.* idque convenit naturæ commendationis & procurationis. *sup. §. 14.* Alii tamen necessaria ad victum iis concedunt. Marfil. *de Eccles. reddit. p. 2. t. 15. c. 26. n. 26.*

§. 22. Verum, etsi hoc de prima Commendarum origine, quæ ab ordinariis Collatoribus ad paucos menses fieri consueverat, non adeò negemus; tamen Jure Canonico videtur jam obtinuisse, ut fructus Commendatariis cederent. Planè, de Commendis, quæ autoritate Pontificis ad vitam concessæ sunt, nulli dubitamus, quin fructus Commendatariorum fuerint, atque hætenus ab indole depositi & mandati desciverint, ex quibus fructus omnes restituuntur domino.

B

mino.

mino. Commenda enim dominum non habet, cui fructus acquiri canonicè possint: nam nec successoris sunt qui non est; nec collatoris, cujus est intra certum tempus providere alii de beneficio, non verò sibi retinere ejus fructus; denique Pontifici Romam commendatarum fructus mitti solere non apparet. Quin imò, cum is, cui commendata est ecclesia, omnia gerere ac exequi possit quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis, & quæ Prælati ritè electus ac confirmatus potest; *c. 42. de Elect. in 6.* etiam reditus percipere poterit, cum nec hi excepti ullibi sint, & meritò ei comòda præstentur, qui omnia rei onera suscipit. Et cur aliàs beneficium Commendæ ad vitam alicui daretur, si commodis careret: aut quis onus sine commodis ad mortem usque reciperet?

§. 23. Quicquid verò tum fuerit, hodiè certè inter omnes constat, Commendas in jus perpetuum abiisse, & fructus æquè ad commendatarios atque ad titulos plenariè pertinere: uti ex *Petri Suavis Hist. Concil. Trid.* docet *Ziegler. ad Inst. Jur. Can. Lancell. lib. 1. tit. 28. §. 10.* Idem *Gylmann. d. tit. n. 2. & n. 4. pag. 103.* *Klock. tom. 3. Cons. 108. n. 66.* *Duaren. de Benef. eccles. lib. 5. cap. 7.* Quanquam maximum hunc esse abusum existiment, eumq; valde improbent cum prædictus *Petrus Suavis apud Ziegl. d. l.* tum *Duar. d. c. 7.* *Andr. Vallens. ad tit. x. de Conces. præb. §. 3. n. 2.* & alii. Sunt igitur tales Commendatarii veluti procuratores in rem suam, qui etsi non titulo ac jure proprio tenent beneficium, tamen omnia comòda sibi perinde ac titulati quærunt.

§. 24. Hinc verò constat, Commendas non minùs ac titulos esse verissima bona ecclesiastica, atque adeò in genere, & specialiter Commendas Equitum sacro-

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. H
sacrorum ad Jus ecclesiasticum pertinere, causasque
earum, de quibus controvertitur, ex Jure Canonico
& Feudali (quia beneficia & feuda ecclesiastica quoq;
sunt feudorum species. 1. F. 1. § 6. 2. F. 26. §. moribus. 2. F.
35. § c.) decidendas esse: cum non ideo res desinat es-
se ecclesiastici juris, quia apud alium deposita, vel ad-
ministratio ejus alicui mandata est; neque depositum
vel mandatum transferunt dominium ecclesiæ ad a-
lios: nec mandantur Commendæ extra ecclesiam,
sed personis ad usus ecclesiæ obligatis & vel voto ob-
strictis.

§. 25. Quin effectu juris non differunt hodie titu-
latus & commendatarius, sed uterque æquè pro vero
Præ lato, & Commenda ex dispensatione summi Pon-
tificis instar tituli habetur. Hoc latè ostendit A. Fab.
C. lib. 1 tit. 3. def. 34. ubi n. 1. ait: *Commendatarius pro
vero Præ lato & Titulario habetur, quandoquidem
Commenda ipsa titulus est dispensatorius; nec inter Com-
mendatarium & Titularium ecclesiæ Rectorem effectu ipso
quicquam interest & c.* Quod & firmat ex antiquiori-
bus; uti ex Probo, qui dixit: *Commendatarius perpetu-
us non minus censetur verus Præ latus major in his que sunt
Jurisdictionis & administrationis Præ lature quàm Titula-
rius.* Et ex Navarro asserente, *Commendatarios esse
veros Præ latus, & posse facere quicquid Titulares possunt & c.*

§. 26. Hinc & Capitulum habent, quo nomine
Collegium ecclesiasticum notari constat: *rubr. & tot. tit.
x. de His que sunt à maj. part. Capit.* adstricti sunt ad tria
vota substantialia: Gylmann. *d. tract. tom. 1. part. 1. tit. 3.
fol. 192. col. 2. ubi Magister Ordinis Teutonici libello suo id com-
plexus est.* inde inter religiosos quoque recensentur;
& jura Clericorum habent: *c. 3. x. de Privileg. ibi: Fra-*

tres Templi & Hospitales & alii Religiosi. Praun. *im Adli-*
chen Europ. §. 674. electione perinde fiunt uti alii Præ-
 lati titulati: utuntur titulo Reverendissimi, Hoch-
 würdigste; item Undächtige/Seine Undacht; Geist-
 liche / religiosi &c. & ita quoq; ab aliis compellantur,
 uti quotidie apparet ex literis publicis, quarū exem-
 plaretulit Excell. & Celeberr. Dn. Becmanus *SS. Theol.*
D. & Prof. nec non Universitatis & suæ Facult. Senior longè
meritisf. in tract. de Ord. Johannit. cap. 4. & alii, Gylm. d.
tit. 3. fol. 191. in fin. & fol. 192. &c. Sed & autoritate
 Pontificis constitutæ sunt Commendæ, quin, nisi per
 Reformationem religionis inde, ut & alia bona eccle-
 siastica, exemptæ fuerint, Pontificem agnoscunt, eique
 fidem præstant. *d. tit. x. de Privileg.* Denique locum
 quoque & ordinem, ut ecclesiastici, ante ejusdem clas-
 sis seculares habent, ut constat. Atq; adeo tota earum
 forma, constitutio ac jura sunt ecclesiastica.

§. 27. Mirum itaq; quàm maximè est, quòd quidam
 in causa Commendæ controversa, cùm rationes ex
 Jure Canonico & feudali allatæ evitari non posse vi-
 derentur, existimaverit, non esse hæc ex iis juribus
 decidenda. Certè enim causæ bonorum & jurium
 ecclesiasticorum, ut sunt Commendæ, ex jure Cano-
 nico decidendæ sunt; & causæ beneficiorum, etiam
 ecclesiasticorum, ex jure Feudali: cùm sint verissima
 fenda ecclesiastica, quæ olim cum omni jure etiam
 ecclesiastico à seculari potestate concessa fuerunt; &
 de quorum concessione & concedendi modo in nul-
 lo alio jure communi, quàm Feudali & Canonico agi-
 tur. Unde, quanquam deinde ab Henrico V. extorta
 fuerit transactio, ut in his beneficiis Imperator tan-
 tum jura secularia *die Weltligkeit*/Papa autem eccle-
 siastica

fiastica per annulum & baculum conferret, eo tamen facto tantum persona conferentis, non modus conferendi mutatus, nedum eo pacto jura feudalia & Canonica sublata fuere. Igitur ex utroque hoc jure norma decidendi has causas petenda est. Quin & accurate conveniunt cum principiis juris communis, atque ex hoc communi fonte quasi rivuli jura eorum ducuntur; ut in causa jam tractanda manifestum fiet.

§. 28. Quodsi itaque Prælati, consentiente Capitulo, beneficii ecclesiastici, sive titulati sive commendati, nondum vacantis expectativam, ut vocant, duobus concesserit, beneficium autem mortuo demum Prælato vacare incipiat, & prior expectivarius à successore Prælati confirmationem petere neglexerit, posterior autem ritè & debito tempore eam obtinuerit, quæritur, an nihilominus prior præferri debeat & posteriorem excludere possit? De jure primum quæritur, (nam si quid usu mutatum, vel in facto, ejusque circumstantiis singulare esse dicatur, id probandum venit) & respondetur, priorem, qui statuto legibus feudalibus vel Canonibus tempore confirmationem neglexit, non posse excludere illum, qui eam petiit & obtinuit.

§. 29. Hoc ostenditur breviter his rationibus. I. Prælati, qui beneficium nondum vacans confert, nihil suum confert, quia totum adhuc possessoris, adeoq; alienum est; non enim agitur de jure directo, quod conferentis est, sed de utili seu ipso beneficii jure quod possessoris est, transferendo. Igitur nec ex ea collatione jus ullum quæritur expectivario, quod ipse conferens nunquam habuit, *l. 20. princ. ff. de Acq. rer. dom.* neq; ex ejus promissione obligatur successor,

successor, qui heres ejus non est. *l. 1. C. si cert. pet. l. fin. C. de Her. act. l. 2. C. de Her. vend. l. 26. C. de Paet.* Quæ ratio tota juris communis est, & in omnibus beneficiis obtinet, in quibus heres non est, sive dicantur spiritualia sive secularia; cum neq; ex facto defuncti invalido jus oriri possit, neq; successor, qui heres non est, illud præstare teneatur, quod adeo & in Commendis obtinebit.

§. 30. II. Officium Prælati cum omni jure, quod ei cohæret, adeoq; & jus conferendi beneficia merè personale est, & proinde totum cum persona interit: cum sola personæ electione, non verò ulla successione hereditaria Prælati constituitur: ut patet. Cum igitur Prælati beneficium, quod nunquam ipsi vivo apertum fuit, conferre non potuerit, adeoq; collatio eo vivente ipso jure nulla fit, non potest post mortem ea incipere, ubi omne jus conferendi jam morte expiravit. Non potest igitur ullum temporis momentum fingi, quo collatio subsistere & inde jus quæri potuerit: non vivo Prælato, quia nunquam vacavit, sed omne jus beneficii penes alium possessorè fuit, adeoq; Prælati nihil quod ipse non habuit, alii concedere potuit: non eo mortuo, cum beneficium vacare incipit, quia morte ejus omne jus conferendi jam extinctum penitus fuit. Igitur nec ex ejus collatione beneficium acquiri potuit, quæ non valuit, neque ex successoris, qui non contulit. Et hoc quoq; argumentum omni jure ipsaq; natura constat, & ad omnia beneficia pertinet quorum jus conferendi hereditarium non est, sed cum persona extinguitur, uti in Commendis, sive dicantur spirituales sive seculares.

§. 31. III. Atq; hinc perpetua illa oritur differentia

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. 15
rentia beneficiorum ecclesiasticorum, & secularium
in quibus dominus heredem habet, qui factum ejus
præstare tenetur, atq; adeò, licet beneficium vivo do-
mino, qui id concessit, apertum non fuerit, heres
tamen ipsius, quandocunq; aperiatur, obligatur ex
concessione & promissione defuncti, & beneficium
sibi jam apertum præstare tenetur. In secularibus
itaq; domini jus morte non perit, sed activè & passi-
vè ad heredes transit; cum è contrario in ecclesiasti-
cis jus omne cum persona, quæ hæredem in benefi-
cio non habet, interierit.

§. 32. IV. Atq; hæc uti indubitata sunt juris com-
munis & universalis principia, ita ex iisdem jure
Feudali & Canonico ad eundem modum id disertis-
simè decisum est; velut in 2. F. 26. §. *Moribus*. his verbis:
*Moribus receptum est, dominum de feudo militis sui, quod
post mortem ipsius ad dominum reverti sperabatur, in alium
militem investituram facere posse, qua investitura tunc de-
mum capiet effectum, cum feudum domino NB. aut heredi
suo fuerit apertum. NB. Secus est in ecclesiasticis personis:
nam si ille talem faciat investituram, (scil. beneficii non
vacantis) non aliter valebit, nisi sibi NB. non etiam Suc-
cessori aperiatur. Similiter in 2. F. 35. de concessione
beneficii ecclesiastici nondum vacantis ita dicitur: Si
antè deceserit investitor, quam feudum ad eum revertatur,
NB. Successor non cogitur eam habere ratam. Et in 1. F. 3.
Si antè deceserit Archiepiscopus, quam ille qui feudum possi-
debat, successores non coguntur eam investituram facere vel
confirmare.*

§. 33. V. In quem sensum quoq; illud sæpius de-
cisum ac responsum expressè fuit: uti cum Archiepi-
scopus Magdeburgensis rem ecclesiæ suæ, sed non-
dum

dum vacantem, alii concessisset, quæ eo demum mortuo aperta fuit, negatum est, Successorem ejus teneri. Carpzov. *Jurispr. for. p. 2. const. 45. def. 7.* cujus hic tenor: Ob gleich Herr Albertus, weiland Erz-Bischoff des Primats und Erz-Stifts zu Magdeburg Hansen Reinicken/ einem Bürger zu Mansfeld uff den Fall da Stephan Policke (possesor) ohne Leibes-Erben versterben würde / etliche Thal-Güther und Salz-Pfannen zu einem Angefälle oder Bedinge geliehen und gegeben/ welches Bedinge nachmahls Euch und euern Vorfahren beständiger weise und mit Einwilligung der nachfolgenden Erz-Bischöffe cedirt und abgetreten worden/ dieweil aber dennoch der Fall mit Stephan Policken NB. nicht bey höchstged. Erz-Bischöffen Leben/ sondern hernach sede vacante, ehe jetziger Erz-Bischoff Sigemund zur Regierung kommen/ sich begeben ic. So ist das Capitul und hernach regierende Erz-Bischoffe an der vorigen Erz-Bischoffe Handlung und Belehnung nicht verbunden. in quem sensum quoq; respondit. Peil. *Cent. 1. Conf. 7.* ubi, cum eadem ratione decidisset, daß dieselbe Belehnung an ihr selbst todt und erloschen / und ein nachfolgender Bischoff / oder sede vacante ein Thum-Capitul / derselben ungeachtet / diese Pfannen ordentlicher weise wol zuwenden mogen: ita concludit: *Quia casum in volumine juris expressum habemus, nullus omnino dubitationi vel questioni de hoc locus est.* Estq; hæc unanimis hæc. Dd. sententia vid. Finckelthaus. *Controv. Feudal. disp. 7. thes. 12.* Et ibi alleg. Atque ita in causa Commendæ respondit *inclita Facult. Jurid. Viadrina.*

§. 34. VI. Atque hinc simpliciter Jure Canonico constitutum est, quòd beneficium ecclesiasticum conferri

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. 17.
ferri nequeat; nisi vacans. c. 2. c. 3. c. 4. x. de Concesf. preb.
c. 27. x. de Prebend. & s. quæ constitutio ex prædictis ra-
tionibus juris communis non potest non inferri: qui-
bus præterea ibi additur alia ratio itidem ex jure
communi desumpta, quâ talis collatio pro invalida ha-
betur; scil. quòd contineat votum captandæ mortis.
d. cap. 2. c. 2. eod. in 6. c. 5. X. de Pact.

§. 35. Cùm itaq; omnibus his constitutionibus &
rationibus Commendæ non minùs ac alia beneficia
contineantur, ineptum planè est, dicere, hæc esse er-
ronea præsupposita quæ ad Commendam applicari
non possint, neque tamen indicare, ubi in Commen-
dis aliud ac in reliquis beneficiis ecclesiasticis consti-
tutum, aut, ubi Commendæ ab expressis illis
decisionibus ex jure communi *sup. §. 31. 32. & 33.* allatis ex-
ceptæ sint. Econtrariò verò abunde satis demon-
stratum est, idem effectu juris esse in commendis ac
aliis beneficiis ecclesiasticis, & decisionem hanc ex ju-
re communi & ipsa ratione naturali desumptam nec
in commendis nec in ulla alia re fallere posse, nec fi-
eri, ut quod quis ipse non habet, alii possit concede-
re, aut, ut jus personale & cum persona extinctum
post mortem adhuc inchoari possit.

§. 36. Unde nec regeri potest, (salvo tamen alio-
rum rectius sentientium judicio) quòd dispositio Ju-
ris Canonici de non conferendo beneficio quod non-
dum vacat, de spiritualibus intelligenda, nec ad Com-
mendas trahenda sit, cùm illæ sint beneficia secularia.
Nam Resp. (1.) Nihil omnino huc facit spiritualitas be-
neficii, cùm omnia hæctenus expositæ sententiæ funda-
menta ex jure Romano petita sint; quod non de spi-
ritualibus agit, sed contra de secularibus. neq; ulla ra-
tio

tio aut dispositio spiritualitate beneficii nititur. (2.) E contrario de secularibus verum est, neminem quod ipse non habet in alium transferre: nec jus personale morte personae extinctum post mortem inchoari posse: quæ manifesta pugna naturalis est, etiam in rebus secularibus. *vid. sup. §. 28. 29. & 30.* (3.) Evidentissimi illi textus *sup. §. 31. & 32.* ex jure feudali adducti nihil de spiritualibus disponunt, sed de feudis ab ecclesiastica persona, quæ heredem in beneficio non habet, datis, & excipiunt tantum dominos heredem beneficii habentes qui eorum factum præstare tenetur. (4.) Ipsi Canones expressè se fundant in voto captandæ mortis, quæ ratio ex jure communi desumpta in secularibus quoque valet. (5.) Negatur, Commendas esse beneficia secularia, si hæc ecclesiasticis opponuntur: demonstratum enim jam est, Commendas æquè ac titulos esse beneficia ecclesiastica. Si verò ex sensu Canonum accipiantur, etiam titulata beneficia ecclesiastica sunt secularia, quia jure Canonico ad secularia refertur, quicquid voto religioso ac regulæ adstrictum non est. *c. 8. caus. 16. qu. 1. A. Fab. C. lib. 1. tit. 3. def. 34. n. 1. & 2.* (6.) Quin Commendæ ordinum equitum inter religiones recensentur, cum & illi regulæ & voto alligati sint; etsi in Evangelicorum Commendis illa sublata sint: eodem enim nihilominus jure ut reliqui equitum sacri ordines utuntur.

§. 37. Præcipuè verò obstare videtur, quòd secus fit quando Capitulum collationi beneficii non vacantis consensit, cujus factum successor ab eo electus præstare debeat. Nam satis certum videtur, à ratione juris id maximè abhorrere: cum constet heredem quidem seu successorem universalem ex facto defuncti obli-

Et obligari, non autem Successorem singularem, qualis est Successor certi beneficii. Hinc omne æs alienum, omnisq; obligatio & actio ad solos heredes, non autem ad legatarios vel fideicommissarios singulares transit. *l. 13. C. de Hered. inst. l. 35. §. 1. & 2. ff. cod. l. fin. C. de Hered. act. l. 2. C. de Hered. vel act. vend.* adeo ut heres ipse, qui deductis certis rebus hereditatem restituere rogatus est, creditoribus defuncti ideo non teneatur, quia instar legatarii & successoris singularis habetur. *§. 9. vers. Quin etiam. Inst. de Fideic. hered.* Uti & agnati, qui in feudo succedunt, successores sunt singulares nec ad æs alienum defuncti tenentur. *2. F. 45. &c.*

§. 38. Quod ipsum naturalis quoque ratio probat: naturaliter enim quisq; ex suo tantum, non ex alterius facto tenetur, quia homini in suas tantum, non in alterius actiones jus à natura datum est. Unde regulæ illæ: *Quod factum cuiq; suum, non alii nocere debeat. l. 155. pr. ff. de Reg. Jur. l. 25. §. 2 in fin. ff. ad Sc. Treb. l. 27. §. 4 in fin. ff. de Pact. l. 5. §. 5 ff. de Op. nov. nunc.* Quod nemo facto suo alterius conditionem deteriorẽ facere possit. *l. 74. ff. de Reg. Jur. l. 2. ff. Quod vi aut clam.* Quod nemo alterius facto onerari debeat. *&c. l. 27. in fin. princ. ff. de Procurat. l. 33. §. fin. C. de Inoff. test. &c.* Excipitur heres, qui ideo oneratur ex facto defuncti idq; præstare tenetur, quia jure fingitur eadem esse persona cum defuncto, adeo ut perinde sit, contra suum, an contra defuncti factum venerit: utroq; enim casu æquè repellitur exceptione rei venditæ ac traditæ, ac si ipse fecisset. *l. 1. princ. & §. 1. ff. de Exc. rei. vend.* Hæc ratio tota cesat in successore singulari, qui non, uti heres, repræsentat personam antecessoris, adeoque relinquitur regulæ naturali, quod ex alterius facto non teneatur.

§. 39. Longè minus verò tenetur electus factum eligentium præstare: satis enim constare arbitror, electum ex electione ad alia non teneri, quàm quæ electionis legibus, seu, ut loqui amant, capitulationibus comprehensa sunt; tantum abest, ut in genere factum eligentium præstare teneatur; nisi talia sint, quæ per se & suo jure omnes obligant, prout in omnibus Collegiis, quibus eligendi jus competit, usu venit, ut ad alia non obligentur, quàm quæ in lege electionis dicta sunt, vel per se obligationem pariunt.

§. 40. Quinimò tale factum, quale est collatio beneficii non vacantis, nec heres quidem vel successor universalis præstare tenetur, nedum successor singularis aut alius: quia negotium illud, etsi consensu Capituli fiat, jure penitus invalidum est, ex quo nulla planè obligatio oriri potest. Quàm enim utroque jure improbetur talis concessio ob cohærens votum captandæ mortis, notissimum est *ex l. 4. C. de Inutil. stip. l. 5. C. de Pact. conv. tam. sup. tot. l. 19. C. de Pact. c. 2. & pass. X. de Conces. præb. c. 2. eod. in 6. c. 5. X. de Pact. & c.* & maxime Jure Can. omnis collatio cujusq; beneficii ecclesiastici nondum vacantis severè interdicta est: *d. c. 2. verb. Nulla ecclesiastica beneficia tribuantur alicui seu promittantur antequam vacent: & c.* allegato jure civili ejusque ratione.

§. 41. Neq; adeò magis Capitulum conferre beneficium non vacans potest, quàm Prælatus: nam nec illud conferre potest, quod alienum est, & omnis collatio beneficii ecclesiastici, à quocunq; fiat, prohibita est, *d. c. 2.* omnesque prohibendi rationes omnium

mnium concessionibus æquè communes sunt. Quod verò initio nullum est, nec ex post facto quidem conualefcit: quæ omnia satis certa sunt.

§. 42. Ex hoc igitur facto legibus improbato nemo obligari potest, adeoq; ne ipsum quidem Capitulum, nedum Succesor. Quí enim fieri potest, ut Succesor ex facto Capituli teneatur, ex quo ne ipsum quidem Capitulum; seu, ut ille magis ex alterius facto obligetur, quam ex suo? Equidem heres ex facto quidem licito testatoris, v. gr. legato, tenetur, etsi testatori liberum sit illud adimere; quia heres tamen aditione se ad id obligavit; si testator propter prohibitionem legis non teneatur, certum est, nec heredem obligari.

§. 43. Nec mirum videri debet, collationes beneficii non vacantis adeò jure improbari, & tamen tam frequenter fieri. Nam jure deinde Feudali demum receptæ illæ sunt hæctenus, si vivo Prælato deinde vacare cœperint. 2. F. 35. §. *cumq; te bonis ecclesia.* 2. F. 26. §. *moribus.* ubi disertè jus hoc moribus tribuitur: uti & è contrario iisdem moribus receptum traditur, ut in secularibus beneficiis, quorum dominus heredem habet, valeat collatio, si herede saltem existente apertum fuerit. d. §. *Moribus.* Unde manifestissimum est, concessionem beneficii non vacantis, legibus & Canonibus prohibitas, non ultra deinde permissas fuisse, quàm cum evidenti distinctione inter concessionem Prælati & domini secularis, ut illa valeat, si beneficium vivo; hæc, etsi post mortem heredi saltè aperiatur; nec proinde ulterius jure extensa est conferendi licentia.

§. 44. Movit quidem alios in primis quoq; generali-

neralitas illius regulæ: *Ex qua persona lucrum quis capit, ejus factum præstare debet. l. 149. ff. de Reg. Jur.* Verùm nemo quisquam dicet, eum esse hujus regulæ sensum, ut donatarius, commodatarius, legatarius, &c. qui lucrum capiunt ex persona donatoris, commodatoris, vel testatoris, teneatur in genere horum facta præstare, æs alienum solvere; &c. nihil enim ab omni jure alienius esse constat, cùm id solius sit hæredis ac universalis Successoris. Necesario igitur hoc intelligendum est de facto quod ipsa lege donationis, seu negotii ex quo lucrum capitur, comprehensum est: uti in donatione sub modo facta hunc modum adjectum præstat donatarius. *l. 1. C. de Don. qua sub. mod.* Is cui testator legat cum onere fideicommissi, teneatur id onus præstare, quia legati lege comprehenditur, sed tantum pro modo lucri, non ultra *l. 114. §. 3. in fin. ff. de Legat. 1. l. 1. §. 17. ff. Ad Sct. Treb.* Aliud exemplum affert Wisfenb. *ad d. l. 149. n. 21.*

§. 45. Ita, qui usucapere vult ex persona antecessoris singularis, in causam usucapionis succedat necesse est, quia ex ea capit. Cùm igitur omnis usucapionis, præter titulum, (sine quo nec inchoari illa nec continuari potest) duo sint maxime substantialia; alterum in negotio, ut bona fide initum sit; alterum in re, ne vitiosa sit, in utramq; hanc causam succeditur.

§. 46. Igitur, si antecessor rem mala fide acceperit, successor, si ex ejus persona velit usucapere, eodem jure utitur, etsi ipse sit in bona fide, quia non ex suo, sed antecessoris negotio & initio capit. Atq; hoc eleganter dicitur in *l. 13. §. 1. ff. de Acq. poss.* *Cum quis utitur adminiculo ex persona auctoris, uti debet cum sua causa, suisq; vitiis.* Hic ergo textus, quem ur-
gere

gere solent in contrarium, apprimè sententiam nostram firmat atq; illustrat; scil. Successorem singularem non teneri ad alia, quàm quæ lege negotii, ex quo acquirit, continentur.

§. 47. Pariter continetur naturâ usucapionis, ne res vitiosa sit. Hoc vitium rei cohæret, adeoq; & illud cum re ad successores transit, uti alia onera & commoda rei cohærentia: de quo est *l. 11. C. de Acq. poss.*

§. 48. Inter hæc duo tamen id interest, quòd mala fides antecessoris non noceat successori, si is à se & suo negotio usucapionem inchoare velit, & in bona fide sit. *l. 5. princ. ff. de Div. temp. præscr.* sic enim hoc, à quo ipse incipit, aliud à priore, quod ab antecessore mala fide gestum erat, negotium, aliud usucapionis initium, alia deniq; usucapio est. At si res vitiosa sit, indistinctè nocet etiã successor, licet à se initium usucapiendi faciat; quia id vitium rei cohæret, quæ cū suo vitio ad omnes transit. Res igitur cui vitium cohæret, eadem est; negotium, cui bona vel mala fides, aliud & aliud.

§. 49. Atque hæc omnia manifestæ rationis sunt. Videndum scil. quid naturâ negotii, vel re contineatur: id enim necessario præstabit is, qui in negotium illud vel rem succedit; quia utrumq; cum causa sua transit. *d. l. 13. §. 1.* Quare, cum hereditatis negotium universale sit, quo omnia defuncti jura activè & passivè continentur, heres in omnia succedit, omniaque facta lege non prohibita præstat. E contrario verò, si quis singulari negotio vel rei succedat, id solum præstat quod vel negotii illius naturâ, vel re illa comprehenditur. Quo intelligitur sensus regulæ in *c. 46. de Reg. Jur. in 6.* *Is, qui in jus alterius succedit, eo jure, quo ille, uti debet.* scil. heres in omnibus; successor negotii

tii vel rei singularis in causa illius negotii vel rei.

§. 50. His consequens est, ut videamus, quid naturâ electionis Prælati, sive titulati sive Commendatarii, contineatur. Non sanè ut ille præstare teneatur concessionem beneficiorum nondum vacantium & sibi non apertorum: illæ enim tantum abest ut naturâ beneficii, quod electione acquisitum est, contineantur, ut potius legibus & Canonibus improbatæ atque ab officio illo exclusæ sint, *sup. §. 34.* nec nisi certis finibus tolerantur, de quibus §. 43. In contrarium igitur ea est natura officii Prælati, ut beneficia vacantia conferat, non ut non vacantia: *c. 35. X. de Elect. c. 3. caus. 8. q. 1. c. 3. & tot. tit. X. de Conc. præb.* itaq; cum hac & natura & causâ sua, sc. jure conferendi vacantia, transit electione officium Prælati ad successorem: perinde ut usucapionis causa ad successorem transit, si antecessor bona fide cœperit, non si malâ; quia illa ejus naturâ continetur, hæc contrâ ei repugnat. *sup. §. 45.* Quemadmodum ergo ex causa usucapionis, ab antecessore mala fide cœptæ, nec successor, etsi bona fide teneat, usucapere potest, quia usucapio mala fide cœpta legibus rejicitur; ita ex concessione beneficii nondum vacantis, etiam cum consensu Capituli facta, Successor teneri non potest, quia per Canones illa (nisi vivo Prælato deinde aperta fuerit) improbat. *sup. §. 43.*

§. 51. Unde non de nihilo videtur esse ratio Fachinæi, *lib. 7. controv. 29.* quòd collationi Prælati tacitè insit conditio, *si vivo ipsi apertum fuerit.* Nam, cum tempore concessionis id incertum adhuc fuerit, & existere tamen casus ille vivo Prælato possit, ille casus seu eventus futurus, qui an sit extiturus incertum est,

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. 25
est, verissima est conditio: quippe quæ nihil aliud est,
quàm casus futurus ac incertus an extiturus sit: *arg.*
l. 56. ff. de Cond. ind. junct. §. 10. Inst. de inut. stip. l. 37. l. 38.
l. 39. ff. de Reb. Cred.

§. 52. Atq; hæc ratio Fachinæi demum absolvit
has Prælatorum & Capituli collationes ab omni vitio;
quia intelliguntur conferre beneficium velle secundū
leges & Canones; adeoque ea lege, *si apertum ipsi*
Prælato fuerit: omninò enim credendum est, Præ-
latos & Capitulum canonicè procedere. Inest itaq;
tacitè ista conditio, atq; hac ratione collatio commen-
dæ non vacantis iusta & Canonica, etiam ab initio, in-
telligi potest, quippe ab hac conditione suspensa.

§. 53. Equidem Hartm. Pistoris quoque,
Jctus Clarissimus, qui & acri ubique judicio,
summâq; solertiâ atq; industriâ controversias pensita-
re consuevit, in hac causa communem secutus, præ-
terea urget, quòd Capitulum nunquam moriatur: &
quòd ecclesia debeat esse tutrix justitiæ, nec adeò re-
cedere à suo pacto, aut fraudem adhibere. &c. *l. 2. qu.*
27. n. 15. & seqq. Verùm, non est justitiæ, servare pa-
ctum invalidum & per Canones improbatum: uti est
concessio beneficii non vacantis, tum ratione Præla-
ti, tum ratione Capituli. Neq; committit contra pa-
ctum, qui ex eo non obligatur; cùm extra terminos
suprà allegatos illud ipso jure nullū sit: ex negotio verò
lege invalido nemo obligatur, *l. 5. C. de Legib.* & ne qui-
dem in conscientia; quia vi juris naturalis, quâ Magi-
stratui potestas legislativa data est, lex civilis & jubēdo
conscientiam obligat, & permittendo tutam præstat.
vid. D. Præf. *Disp. II. de Finib. bon. fid. cap. 1. dub. 3.*

§. 54. Ex eo verò, quòd Capitulum nunquam
moriatur, nihil concluditur; pactum enim hoc initio
D nul-



nullum est, nec unquam convalescit; nisi in unica illa specie moribus probatâ, *si vivo Prælato apertum fuerit. d. §. moribus.* Neque Capitulum paciscitur de suo facto, scil. se concessurum; sed Prælati, tanquam caput ecclesiæ, de suo, cui Capitulum assentitur. Capitulum igitur non tenetur beneficium præstare, quia id non promisit; & in pacto, cui Capitulum consensit, est factum Prælati, non Capituli: cui consequens est, si Prælati pactum, etsi consensu Capituli factum, non valeat, & proinde Prælati ad illud factum non obligetur, nihil superesse quod Capitulum præstare teneatur.

§. 55. Secus est, si quæ beneficia ad collationem solius Capituli spectent, uti quædam spectare possunt: *c. 3. x. de Suppl. negl. Præl. c. pen. x. de Concesf. Præb.* de iis enim dici potest, quòd, quandoque vacent, eidem Capitulo, quod nunquam moritur, aperiantur. *arg. l. 76. ff. de Judic.* Idque adeò convenit quoque rationi Juris Beneficarii in *2. F. 26. §. moribus*; ut, quemadmodum Prælati collatio valet, si vivo apertum fuerit beneficium; ita Capituli semper, quia nunquam moritur.

§. 56. Atque hæc est perpetua juris ratio, ut, quoties quis alteri suum factum promittenti tantum consentit, non hic inde obligetur ad præstandum illud factum, quippe qui id non promisit, sed tantum ad patiendum ut alter præstet. Hujus igitur consensûs unicè hic effectus est, ut alterius promissio, cui nihil nisi consensus iste deest, subsistat, adeoque is, qui consensit, deinde præstare volenti contradicere non possit, non verò ut ille id præstare teneatur. Ita dominus non potest opus facere in ædibus fructuariis, nec eas aliùs tollere absque consensu fructuarii; sed isto consensu hic tantum tenetur ad patiendum, non verò ut ipse faciat. *l. 7. §. 1. ff. de Usufr.* Prædia minoris
ris

ris non possunt vendi sine decreto & consensu iudicis; ex eo tamen iudex prædium præstare non tenetur, sed minor solus. *tot. tit. C. de Præd. min. sin. decr.* Quin & tutor & curator, si ipsi soli rem minoris gerant, directâ quidem actione, durante officio, ex suo facto conveniri possunt: *l. 26. ff. de Adm. tut.* at, si minor ipse cum consensu tutoris vel curatoris promittat, v. gr. Sejo, ipse inde obligatur ad præstandum Sejo; *princ. Inst. de Aut. tut. §. 9. Inst. de Inut. stip.* curator verò tantum, ut iudicio conventum defendat; *l. 1. §. 2. & 3. ff. de Adm. tut.* ita ut semper tamen actio iudicati contra solum minorem detur. *l. 2. princ. ff. eod.* Atq; ita Capitulum ex consensu suo tantum tenetur, ut Prælato præstare volenti (modò aliunde quoque non prohibeatur) non contradicat; non autem ut ipsum præstet; & consequenter electus quoq; ab eo successor factum ejus præstare non tenetur.

§. 57. Hæc paulò prolixius respondimus ad regulam illam, quòd quisq; factum ejus, à quo lucrum capit, præstare teneatur: non tam solvendi dubii hujus causâ, quàm ut in genere appareat, quàm periculosum in jure sit, generalibus hujusmodi ac vagis regulis insistere; quantiq; intersit, eas intra justos cancellos coërceri. Frustra verò non nemo opponit *c. 12. in de Rescript. in 6. c. 17. X. de Præbend.* Nam ibi non agitur de concessione certi beneficii non vacantis, per canones improbata, de qua hic quæritur; sed de concessione licita & generali beneficii vacantis vel proximè vacaturi, & quidem rescripto Pontificis impetratâ: quæ si duobus facta fuerit, priorem præferri inter omnes constat; neq; de eo quisquam quærit aut dubitat. *c. 30. X. de Rescript.*

§. 58. Quàm perperam verò hi textus hic allegentur.

gentur, & quàm planè hæc sint erronea supposita, facile apparet: Nam, (1.) in *d. c. 12. & d. c. 17.* conceditur duobus in genere beneficium vacans vel proximè vacaturum in aliqua ecclesia; hic certum beneficium non vacans. (2.) Prior concessio omni jure licita est; altera jure communi & Canonum improbata. (3.) In *dd. text.* non est quæstio de casu, quo Primus debito tempore neglexisse dicitur. Nec (4.) de casu, quo beneficium post mortem concedentis demum aperitur. Nec (5.) de collatore, qui Jure Canonico tenetur, cùm ipse Pontifex concesserit: &c. Quæ omnia secus sunt in præsentis quæstione.

§. 59. Cùm igitur Pontifex duobus gratiam licitè rescripto concedit, nemo ambigit, primum præferendum, *d. c. 12. d. c. 17. c. 30. x. de Rescript. &c.* quia posterius rescriptum per obreptionem impetratum intelligitur: unde ne hoc quidem perpetuum est, sed Secundus præfertur, si in posteriore rescripto mentio prioris facta sit, adeoque obreptum Pontifici dici nequeat. *c. 3. c. 9. c. 12. c. 23. x. eod. & Vallens. eod. tit. §. 5. n. 1. 2.*

§. 60. Hoc verò quid ad hanc speciem, quâ certum beneficium nondum vacans à Præ lato duobus concessum, nec vivo eo apertum est, adeoque non modò jure Canonico, quo simpliciter talis collatio improbatur, sed & moribus & usibus beneficiorum ecclesiasticorum, juxta *d. §. Moribus.* ea irrita fit, à Successore autem, cui aperitur beneficium, & cui proinde conferendi potestas omni jure competit, Secundus confirmationem impetrat, Primus impetrare negligit; & quæritur, an is, qui solus impetravit beneficium ab eo Præ lato qui jus conferendi habuit, excludi debeat ab eo, qui non impetravit nisi ab eo, qui jus conferendi nondum habuit? Quod neminem, perpensâ juris ratione, dicturum confidimus. §. 61.

§. 61. Hæc hæctenus de Jure; quod cum certis atq; indubitatis rationibus asertum jam videatur, perpendendum porrò est, an & quatenus consuetudine id hodie immutatum sit? Talem verò consuetudinem qui aserit, eam cum omnibus circumstantiis probet necesse est; nihilque apud Dd. magis tralatitium esse constat, quàm consuetudinem, quæ facti est, cum omni sua qualitate specialiter probandam esse. In hac autem specie duo quæri possunt. (1.) An beneficium ecclesiasticum, quod, cum nondum vacaret, Prælato Primo & Secundo concessit, & mortuo deinde Prælato apertum Successori fuit, Primo sine ullo Successoris facto ita acquiratur, ut nec petere quidem à Successore ullam beneficii confirmationem necesse sit, nec, si Secundus debito tempore petat, ei indulgere Successor beneficium sibi apertum non possit? (2) An Successor, petita justo tempore à se confirmatione, denegare eam possit? Utrumque, cum juri repugnet, specialiter probandum, atque adeò interim Secundus, qui jure communi nititur, in possessione tuendus erit.

§. 62. Etsi autem posterius, scil. quòd Successor, confirmatione à se ritè petitâ, non facile eam rejicere possit, plurimum Capitulorum usu receptum esse non diffiteamur; prius tamen, scil. ne opus quidem esse, à successore, cui apertum est beneficium, ejus confirmationem petere, probatum hæctenus non vidimus. In omnibus enim, quæ hucusq; occurrunt, præjudiciis vel non apparet in hac specie neglectam planè fuisse confirmationis in tempore petitionem, vel ipsa electionis lege comprehensum fuit, ut concessionem beneficiorum nondum vacantium antea factæ absq; confirmatione ratæ sint.

§. 63. Atq; hinc ante aliquot annos Amplissima
D 3 Facul-

Facultas Juridica hujus Electoralis Viadrinae, cum de tali specie consuleretur, lita definiit; cum enim commendae nondum vacantis expectativa duobus cum consensu Capituli assignata esset, nec nisi concedente mortuo illa vacaret, Successor vero, a quo Primus confirmationem commendae plane non petierat, secundo eam rite petenti indulgisset, neque consuetudo Capituli contraria probaretur, de jure praedicta Facultas respondit, commendam ei quaesitam fuisse, qui ejus confirmationem a Successore, cui aperta illa fuit, rite petierat.

§. 64. Equidem singularia quaedam in praedicta facti specie allegata a parte adversa fuerunt, ad excusandam prioris expectativarii negligentiam, sed, cum non sufficerent, satisfactum iis in memorato Facultatis responso fuit. Reliqua quoque, quae deinde proposita dicuntur, vel parum momenti ad causam attulerunt, vel non probata fuerunt.

§. 65. Illud saltem praetereundum non est, nullius momenti esse, quod dicitur, secundum non nisi sub conditione suspensiva expectativam obtinuisse; wann durch der anteriorum provisorum tode oder resignation die Commenthuren vacant worden: quae conditio nondum extitit, Primo adhuc superstite, & non resignante. Quasi vero non sit manifesta haec sententia, quod secundus non sit habiturus beneficium, nisi priore deficiente; adeoque quocumque modo defecerit: quae conditio, etsi non addita, ipso jure tamen inest expectativae, adeoque nec est quidem conditio, ut constat ex l. 3. ff. de legat. 1. l. 8. ff. de Vulg. & pup. subst. l. 19. §. 1. l. 107. ff. de Cond. & dem. l. 6. §. 1. ff. de Tutel. l. 22. §. 1. ff. Quand dies leg. & pluribus aliis. Intelligitur ergo casus, si Primus defecerit. Nam aliàs & hoc ridiculum sequeretur, quod, si non morte aut resignatione priorum

orum

DE TITULOR. & COMMENDAR. CONVENIENTIA. 31
orum, sed ob delictum, vel negligentiam, vel muta-
tam conditionem, vel alias causas Commenda vacaret,
Secundus nunquã eam caperet, sed Tertius, & reliqui
quoq; ei præferrentur, quia duobus saltem casibus eam
sibi reservasset, si morte vel resignatione vacaret.

§. 66. Porro in cæteris quoq; beneficiorum ec-
clesiasticorum juribus constat sibi Titulorum & Com-
mendarum convenientia. Nam formã quidem &
iis, quæ ab illa dependent, differunt, sed in cæteris e-
andem vim effectumq; juris habent: Titulatus enim
instar fructuarii est, qui jure proprio ac reali & fructus
percipit, & omnia jura exercet; commendatarius au-
tem instar procuratoris in rem suam, qui quidem ju-
re ac nomine alterius beneficium tenet, sed ita ut o-
mnia commoda & jura ipsi commendatario cedant.

§. 67. Atq; hinc, (ut compendio reliqua com-
plectamur) commenda vim tituli habere, & instar
tituli esse dicitur, Ricc. *decis. 1590.* ut Procurator in rem
suam instar domini; *l. 13. §. 1. ff. de Pact.* quo sensu dici
potest, non differre eos à Titularibus: Franc. Marc.
Decis. Delfin. tom 2. dec. 309. per tot. licet enim proprie
collatio & provisio dici nequeat, eandem tamen vim
habet. Unde Commendatarius omnia facere potest
quæ Jurisdictionis sunt ecclesiasticæ vel legis dicece-
sanæ; adeoq; & excommunicare, & beneficia conferre,
quin & præsentare Clericum ad titulum ecclesiæ, &c.

§. 68. Quæ verò pendent ab ipsa forma, iis ali-
quatenus differunt: Ita v g. ea quæ ordinis sunt exer-
cere quidem poterunt, non autem indistinctè per se,
sed ita ut mandent ea personis idoneis, & per eas Ca-
nonicè exercent, uti consecrationes, ordinationes, &c.

§. 69. Sed nec Commendatarius, si turbetur in
beneficio, vel inde dejectus fuerit, interdicta retinen-
di aut

32 DISSERT. JURID. DE TIT. & COMMEND. CONVEN.
di aut recuperandi de vi exercere potest, Capyc. *Decis. Neap. 3. n. 4.* Ricc. *part. 6. decis. 2424. vers. Videamus.* quia non possidet, ut sup. dictum est: *per l. 17. ff. Depos. Franc. Marc. tom. 2. quest. 399. n. 1.* at contrâ titulatus his possessoriiis remediis uti potest, quia naturaliter possidet, uti fructuarius. *arg. l. 1. §. 1. ff. de vi & vi arm.* Potest tamen Commendatarij uti remedio *l. 1. C. Si per vim.* Evangelici verò equitum Ordines Commendas suas possidere quoque omnino dicendum est; cum neminem superiorem titulatum habeant, cujus nomine possidere dici possint; & illis itaque præmemorata remedia possessoria omnino competent.

§. 70. Unde & patet decisio quæstionis, de beneficiis in Curia Romana vacantibus: illa enim cum omnia collationi Pontificis reservata sint ex dispositione *c. 1. c. 3. & c. 34. de Præbend. in 6.* quæritur, si Papa non contulerit, sed commendaverit beneficium, & deinde Commendatarius extra Curiam deficiat, an adhuc Pontificis sit iis providere? Quod omnino dicendum, quia beneficium non desinit vacare per Commendam, ut sup. expositum est; adeoque eadem adhuc durat vacatio, donec Papa plenè providerit. *Franc. Marc. d. tom. 2. dec. 400. per tot. Capyc. d. dec. 3. n. 1. & 2. Ricc. part. 5. decis. 1590.* Quanquam de Evangelicorum Commendis frustranea quoque ea quæstio est.

§. 71. Ex his iudicium de aliis fieri potest, quæ nunc non cumulabimus. Et hæc quoq; quæ diximus, Ecclesiarum Capitulorumq; iudicio eâ, quâ par est, reverentiâ submittimus, nihilque vel sententiæ ipsorum vel iuribus derogatum volumus.

F I N I S.

De-
us.
pos.
nis
si-
ta-
an-
os-
em
le-
dia

ne-
o-
io-
on
de
uc
m,
en-
lu-
rc.
cc.
n-

uæ
us,
ft,

sd


Pou TR 4116

V077

ULB Halle 3
002 425 84X





Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

